



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Item de quadrupedum fornicatoribus. xxxiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

prolapsi sunt, XXV. annos pœnitentiã agentes, ad orationis communionem recipiatur. In qua quinquennio perdurantes, tunc oblationis sacramenta percipiant. Quod si & uxores habentes, & transcendentés quinquagesimum annum ætatis ita deliquerint: ad exitum vitæ communionis gratiam consequantur.

De eadem re. Cap. XXXI.

EOS qui irrationabiliter vixerunt, & lepra iniusti criminis alios polluerunt, præcepit sancta synodus inter eos orare, qui spiritu periclitantur immundo. *Ex eodẽ. cap. 16.*

De illis qui cum pecudibus peccant. Cap. XXXII.

Qui cum pecude peccat, quidam iudicant annos, X. quidam septem, quidam tres tres, quidam centum dies, iuxta qualitatem personæ pœnitere. *Ex pœnitentiâ Theodo.*

Item de quadrupedum fornicatoribus. Cap. XXXIII.

Si inuenti fuerint qui cum quadrupedibus, vel masculis contra naturam peccant, dura & districta pœnitentia coercendi sunt. Quapropter episcopi vel presbyteri à quibus iudicium pœnitentiæ iniungitur, conentur omnimodis hoc malum radicitus abscindere. *Ex pœnitentiâ Romano.*

De illis qui fornicantur sicut Sodomitæ.

Caput XXXIII.

Qui fornicatus fuerit sicut Sodomitæ, si seruus est, & si scopis castigabitur, duos annos, si liber est & coniugatus, X. annos, si priuatus, septem annos pœniteat: pueri centum dies, si in consuetudine est. Laicus coniugatus, si in consuetudine habet, XV. annos pœniteat. Si ex ordinibus est, & in consuetudine habet, degradatus, vt laicus pœniteat. Qui autem cum fratre naturali fornicatus fuerit, per tam sordidam cõmixtionem, ab omni carne se abstineat, vel XV. annos pœniteat, si clericus est, amplius peli debet. *Ex pœnitentiâ Theodo.*

De clericis vel monachis, si fuerint masculorum infestatores.

Cap. XXXV.

Clericus vel monachus adolescentium vel paruulorum infestator, vel qui osculo, vel aliqua occasione turpi deprehensus fuerit, publicè verberetur, & coronam amittat, decaluatusque turpiter, sputamenti obliniatur in facie, vinculisque artatus ferreis, carcerali sex mensibus angustia maceretur, & triduo per hebdomadas singulas ex pane hor *Ex dictis Basilij.*